



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 64. Thomas Archiepiscopus Eboracensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII. Eadmerus, ipsius Discipulus, & comes  
A.C. 1109. individuus, qui in hoc opere nobis singu-  
 lari industria S. Viri mores & ingenium  
 exhibuit, atque miracula narravit. Aliud  
 vero Scriptum nobis reliquit sub Titulo  
*Historia Novorum*, in qua, servato tem-  
 porum ordine, quæ inter S. Anselmum  
 & Reges Angliæ a principio Regni Gui-  
 lielmi *Conquæstoris* usque ad S. Anselmi  
 obitum acta sunt, & quasdam alias cau-  
 sas Ecclesiasticas, usque ad annum mil-  
 lesimum centesimum vigesimum secun-  
 dum, accurate refert.

## §. LXIV.

*Thomas Archiepiscopus Eboracensis.*

*Edm. 4. No-*  
*vor. n. 38.*

Paucis post obitum S. Anselmi diebus,  
 in Angliam pervenit Cardinalis, a  
 Paschali Papa missus, afferens Pallium,  
 Archiepiscopo Eboracensi destinatum,  
 quod interim S. Anselmo traderet, ut de  
 eo, sicut Ecclesiæ expedire visum fuisset,  
 decerneret. Itaque in Festo sequen-  
 te Pentecostes, decima tertia die Junii,  
 anno millesimo centesimo nono, Rex  
 Comitum Generalia Londini celebrans,  
 causam Archiepiscopi Eboracensis discu-  
 ti jubet. Legitur epistola ultima S. An-  
 selmi ad eum data, statimque Episcopi  
 undecim præsentis obsecuturos se esse  
 defun-

defuncti Præsulis mandato profitentur, etiam, si necesse foret, cum Dignitatis suæ jactura. Tum advocatus Samson, Episcopus Vigorniensis, cujus filius, ex legitimo toro natus, erat Thomas Archiepiscopus, in ceterorum Episcoporum sententiam ivit, dixitque, facturum se accurate, quod Anselmus ante mortem jussisset. Rex quoque suo calculo accedens Thomæ significavit; eam obedientiam, quam Antecessores ipsius præstitissent, Ecclesiæ Cantuariensi promitteret, vel Archiepiscopatu se abdicaret. Fecit Thomas, quod jubebatur, atque consecratus est die Dominica, vigesima septima Junii, a Richardo Episcopo Londinensi, qui prius memoratum juramentum ab eo recepit, moxque Cardinalis Pallium ei dedit. At Thomam, quoad vixit, pœnitentia torisit, quod manibus Anselmi ordinari noluisse. Ceterum Episcopus Londinensis, tanquam Ecclesiæ Cantuariensis Decanus, hac consecratione defunctus est.

Sæcul. XII.

A.C. 1109.

## §. LXV.

*S. Hugonis Cluniacensis extrema.*

Eodem anno, octiduo post S. Anselmum, ad Superos evolavit S. Hugo, Ordinis Cluniacensis annis sexaginta Re-

Sup. 176.

LIX. 5. 58.

N 3

tor,